



Disputatio juridica inauguralis de judiciis, & foro competenti

<https://hdl.handle.net/1874/340688>

13

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
Judiciis, & Foro Competenti,

Q V A M

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inlyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis.

Eruditorum examini subjicit

JOHAN KIEN, DORDR. BATAV.
Ad diem II. Juny horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo lcc LXXXVII.

*Viris Nobilissimis, Amplissimis, atque Gravissimis
Dominis*

D. JOHANNI KIEN,
Florentissimæ Urbis Alcmariæ Senatori Patri suo, filiali debito, hono-
re, ac amore prosequendo.

D. GUALTERO de LANSCHOT,

J. U. D. quondam Prætori, Consuli, & Senatori ampliss. : civitatis
Lugduni Batavorum, ac eo nomine Præfecto deputato ad Cameram So-
cietatis Indiæ Orientalis, quæ est Amstelodami, nunc vero Consiliario
& Magistro rationum dominiorum Illustr. & Præpott. Ordinum Hollan-
diæ Westfrisiæque integerrimo, Avunculo suo Magno.

U T E T

Nobili ac Generoso, Domino

D. GUILIELMO ab EGMONT
de NYENBURG,

Senatori ac olim Scabino laudatæ modo urbis Alcmariæ, atque eo nomi-
ne ad Nobilit. & Potent. Collegium, quod præst auditio rationum
Reipublicæ Westfrisiæ & Hollandiæ Borealis Regionis, in Westfrisia &
eadem Boreali Hollandiæ Regione, deputato, ac insuper Præfecto agge-
ri de Schermeer Vigilantissimo atque indefesso, consobrino suo.

N E C N O N

Illusterrima ac Generosissima Excellentie maximeque strenuo Heroi,

D.D. CORNELIO TROMP,

Comiti de Sylisburg, Equiti Ordinis Elefantis, nec non Equiti Ba-
ronnetti, ut & Hollandiæ ac Westfrisiæ vice-Archithalasso Genera-
li, &c. &c. Cognato suo

*Se atque Disputationem hanc Inauguralem quam
humillime offert*

JOHAN KIEN, A. & R.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

Judiciis, & Foro Competenti.

C A P U T P R I M U M.



E potentiorum libidini exponerentur inferiores, & cupiditatis, atque avaritiae dominaretur affectus authoritate privata sibi jus dicere (exceptis quibusdam casibus) nemini regulariter permisum est l. 17 ff. de judiciis, quicquid enim publice per magistratum fieri potest, majoris tumultus evitandi gratia, singulis non est concedendum l. 176 ff. R. 7.

Quapropter ad juris publici tutelam constitutum est *judicium*, quæ vox licet in jure nostro nonnunquam promentis discretione, sive animi *judicio*, l. 12. in fin. §. 2. ff. de judic. sc̄epius etiam pro *sententia*, aut loco, in quo *judex* jus dicbat l. 2. & passim ff. si quis cauit. in *judic.* ut & pro ipsa actione in *judicium* deductā, accipiatur, hic tamen definitur, quod sit *legitima causa disceptatio*, quæ sit ex parte *actoris*, & rei coram *judice* litis finienda gratia, arg. l. 1. ff. de re *judicata*.

Partes *judicij* præcipuae sunt *litis contestatio*, & *sententia*. Continet autem *litis contestatio* petitionem *actoris* coram *judice*, & ad eam rei conventi responsonem per contradictionem l. unic. C. de *litis cont.* Ante *litis contestationem* nulla *judicii* de causis cognoscendi potestas competit per Nov. 53. cap. 4. quia principium *judicij* est, & ante eam nullum est *judicium*. Varias illa producit effectus, omnē enim actiones alias morte, vel tempore perituras perpetuat §. 1. inst. de *perp.* & *temp. action.* Contestantem efficit *litis dominum* l. 11. & 13. C. de *procur.* Rem facit *litigiosam* l. 2. C. de *litigios.* *Sententia*, quæ *judicio* finem imponit, debet esse definitiva, ut executioni mandari possit, & ut valeat lata à *judice* competente presentibus regulariter omnibus illis, qui *judicare* sunt jussi l. 87. & 89 ff. de *judiciis* l. 17. §. ult. l. 18 ff.

4 DISPUTATIO JURIDICA

de recept. arbitr. His itaque præmissis, & natura judicii perspecta ad varias ejus divisiones, & deinde ad personas judicium constituentes transibimus addituri in fine pauca de fora competenti.

CAPUT SECUNDUM.

DIviditur primo judicium, quod sit *civile* in quo agitur ad commodum actoris privatum, vel *criminale*, in quo ad poenam capitalem corporalem, vel pecuniariam fisco applicandam contendit *l. ult. ff. de privat. delict. l. ult. ff. de furtis*. Civile judicium subdividi potest in *possessorium*, & *peitorium*, illud est, in quo de sola possessione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda contenditur *l. 12. §. 1. ff. de adquir. possess.* hoc est, in quo de rei proprietate, sive alio jure extra possessionem agitur. Possessorium D.D. rursus faciunt duplex, aliud *summarium*, in quo sine strepitu, & figura judicii procceditur, in quo præter citationem, & necessarias probationes reliqua juris solennia omittuntur, ad quod judicium referendæ sunt momentariae possessiones, & extraordinariae cognitiones per *l. 8. C. unde vi*. Aliud *ordinarium*, in quo omni juris ordine servato, plenaque causæ cognitione adhibita proceditur.

Secundo judicium dividunt in *publicum*, in quo quivis ex populo actoris, & accusatoris vice fungi potest, vel in *privatum*, in quo id tantum agit, ad quem res, vel injuria pertinet *l. 1. ff. ad l. Corn. de siccari. l. 5. ff. de publ. judic.* Privatum dividi potest in *universale*, in quo de juris universitate agitur *l. 1. in pr. ff. de R. V. in generale*, quod multas causas amplectitur *l. 38. ff. pro socio. & in singulare*, in quo rei singularis fit persecutio *l. 1. ff. de R. V.* Porro judicium est, vel *præparatorium*, vel *principale*, cui præparatorium quasi viam sternit *l. 56. ff. de procur.* Aut in *rem* est vel in *personam*. Aliud *bonæ fidei*, stricti juris. Ut & aliud *competens* vel *incompetens*. Quamvis plurimæ aliæ divisiones supersunt, has tamen ut maxime necessarias enumerasse sufficiat.

CAPUT TERTIUM.

JUDICUM constituunt personæ *principales*, ut actor, reus, & *judex*, quibus adjunguntur aliæ *accessorie*, quæ judicii, vel partibus acce-

I N A U G U R A L I S . 5

accedunt, atque inserviunt, ut Assessores, apparitores, advocati, & similes. *Est autem judex persona publica autoritate adjudicandum constituta, qualis, quicunque non prohibetur, dari potest ab illis, quibus id lex, SCtum, vel princeps concessit l. 12. §. 5. ff. de iudiciis, sive sit paterfam. sive filiusf. l. 12. §. ult. ff. de jnd. nam in publicis causis non attenditur patria potestas.*

Arcentur a judicandi munere, quidam natura, ut surdi, muti, perpetuo furiosi l. 12. §. 2. ff. de jnd. impuberes, nec non minor annis octodecim, post illam vero etatem consensu partium, aut voluntate Principis ad judicium admittitur l. 57. ff. de re jndicat. non tamen ad judicandum cogi potest l. 41. ff. de recept. arb. Nonnulli lege impediuntur esse judices, ut Senatu motu propter turpitudinem, & ob crimen infamia notati. l. 12. §. ult. ff. de jnd. l. 2. ff. de senator. neque enim judicem decet esse notatum, cum officium ejus adjunctum habeat honorem, & dignitatem, a qua arcendi infames l. 2. ff. de assessor. ut & cæci in causis ocularem inspectionem desiderantibus, in aliis non l. 6. ff. de jnd. Moribus repelluntur mulieres, nisi de jure hæreditario, vel de consuetudine habeant jurisdictionem, cap. 4. x. de arbitr. servi, qui jure civili pro nullis habentur.

Cæterum debet esse judex vir bonus l. 137. §. 2. ff. V. Obl. verax l. 6. ff. de offic. præs. justus, constans l. 19. ff. de off. præs. gravis l. 13. eod. nec severior, nec clementior l. 11. ff. de pænis incorruptus nov. 8. legum peritus, idque ea ratione, quod judex secundum leges judicare debet, non nego tamen plerosque magistratus, & provinciarum administratores militares fuisse magis arma, quam literas scientes, & propterea distinguendum puto inter judices minores, & majores, qui literarum imperiti esse possunt, quoniam non per se judicant, verum ex consilio Assessorum, quos jurisperitos esse oportet, nam si Assessoris imprudentia jus aliter dictum sit, quam oportuit, non hoc magistratui, sed ipsi Assessori nocet. l. 4. ff. quod quisque juris &c. Minoribus autem, cum per se judicant, scire leges necesse est. Imperitis tamen permittitur carum causarum cognitio, quarum ipsi peritiam habent. l. pen. C. de iudiciis.

Officium porro judicis est, causam diligenter audire, anxie veritatem negotii examinare l. 3. ff. de rest. in integr. aliaque eodem spestantia plena inquisitione discutere l. 9. C. de jnd. & utrumque facta allegatorum collatione post maturam deliberationem determinare secundum

6 DISPUTATIO JURIDICA

secundum veritatem legibus constitutionibus, aut moribus proditam
§. 1. inst. de offic. judicis etiam secundum conscientiam, quæ si cum
allegatis, & probatis pugnet, deponendum est judicis officium. &c.
ut veritas patet, judex personam testis assumere debet l. 79. §. ult.
ff. de jud. l. 11. C. de jnd. arg. l. 36. ff. de re jndicata.

Hicce de judice dictis ad litigatores progrederat. *Actor* est, qui ad
judicium provocat, *reus*, qui convenitur, in duplicitibus vero judiciis,
qui adversarium prius ad judicium provocat, est actor, si vero il-
lud non constet, sorte dirimitur uter sit actor, aut reus l. 13, 14,
& 29. ff. de judic. Nullus autem invitus agere, vel accusare tenetur
l. 11. C. ut nemo invit. Exciplunt tamen D. D. l. Diffamari §. C. de in-
gen. & manum. qua Diffamans intra certum diem a judice præfigen-
dum actionem suam instituere cogitur, aut si non agat perpetuum
illi imponitur silentium. Etiam si id officii ratio postulet, cogitur
enim tutor pro pupillo, & curator pro adolescente agere, nisi tute-
la judicio damnari velit. Observandum circa reum quod unus pro
alio conveniri nequeat, non uxor quidem pro marito, tot. tit. C.
ne uxor. pro mar. Requiritur porro in utroque ut legitimam habeant
personam standi in judicio, unde servi, impuberes, furiosi, alii-
que similes a limine judicij sunt repellendi tit. C. qui leg. pers. hab.
stand. in jud.

C A P U T Q U A R T U M.

Nunc de secunda tituli parte pauca dicenda restant. Generalis
enim hic recepta est regula, quod actor sequi teneatur forum
rei l. 2. & 5. C. de jurisd. omn. jud. requiritur itaque ut vocetur reus
ad forum competens, quod definitur locus exercendorum judiciorum or-
dinarius, cui reus immediate subjectus est. Nam extra territorium jus
dicenti impune non paretur. Multis vero modis forum competens
sortitur reus. 1. Ratione domicilii. 2. Contractus. 3. Delicti. 4. Rei
site. 5. Continentiae cause. 6. Privilegii.

Ut igitur ordine procedamus, videndum quomodo reus forum
sortiatur ratione domicilii, quod trifariam fieri posse dicimus, nam
vel respublica, vel origo, vel sua cuique voluntas domicilium facit.

Respublica commune domicilium. & patriam civibus Romanis
urbem Romam constituit l. 6. §. 11. ff. de excus. rui. l. 17. de stat. hom.
unde quilibet Romæ repertus ex quacunq; causa ibidem conveniri po-
test.

test. attamen excipiuntur, qui jus revocandi domum habent, uti legati, quamvis Romæ ante legationem contraxerint, ut qui judicandi, testimoniive dicendi gratia evocati, tutelæ reddendæ, aut petendæ restitutionis in integrum causa Romam profecti sunt l. 2, 8, 25, 26, 28, ff. de judic. Originis domicilium nanciscitur qui ibi loci, unde vel Pater oriundus, vel in quo ipse natus est l. 1. & 6, §. 1. ff ad mun. non enim hic matris attenditur conditio, nisi quis illegitime sit natus, aut privilegio quodam munita sit materna origo, l. 1. §. ult. ad municipal. hoc itaque domicilium jure Rōmano est immutabile, in eoque originarius conveniri potest inventus, licet alibi larem fixerit arg. l. 6, & 29. & ad municipal. l. unic. C. ubi pet. tut. Domicilium ex sua cuique est voluntate, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum summam constituit, inde non discessurus, si nihil avocet, unde profectus peregrinari videtur. l. 7. C. de Incolis. Liberum illud arbitrium eligendi habitationem impeditur, vel ob defectum consensus, unde impubes domicilium patris, furiosus, quod fuit ante furorem retinere censetur arg. l. unic. C. ubi pet. tut. arg. l. 20. ff. de stat. hom. vel ob potestatem maritalem, ob quam uxor sequitur forum, & domicilium mariti, quod & vidua retinet, donec alteri nupserit. l. 38. §. 3. ff. dd municipal. l. 22. ff. eod.

Contractus ratione in loco, ubi quis contraxit, modo illic inventatur, aut bona habeat, quæ possunt eo absente possideri. l. 19, 20, 26, 27. ff. de judic. nisi ejusdem obligationis implementum, solutione in alium locum sit destinata, aut contrahens inde statim sit discessurus l. 19. §. 2, & ult ff. de judic. l. 3. ff. de reb. amb. jud. poss.

Delicti nomine delinquens ejus judicis forum sortitur, in cuius territorio ipsum inchoatum, vel commissum est, quia delinquendo illi foro se subjecit, ne ergo maleficia maneant impunita reus ubicunque reperiatur apprehendi, accusari, damnarique potest l. 1, & 2. C. ubi de crimin. si tamen judex illius loci, ubi delictum perpetratum est, ad se remitti facinorosum velit, necessario remittendum esse puto propter rationes in l. 28. §. pen. ff. de pœnis l. 3. ff. de re milit.

Porro forum sortitur reus ubi res sita est contra illum, cum quo de possessione, vel proprietate rei mobilis, vel immobilis experitur, quamvis nec ibi domicilium habeat, nec contraxerit nec deliquerit. tot. tit. C. ubi in rem act. l. unic. C. ubi de hæred. agat. non enim hic tam personæ, quam rei quæ petitur ratio habetur. Concurrit cum hoc foro domicilii forum, in quo si fuerit actio instituta, reus condemnatus, res vero,

8 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

de qua agitur, alibi sita, petitur a judice loci rei sitæ, ut sententiam in loco domicilii latam exequatur, & in possessionem mittat. *I. 15.*
§. 1. ff. de re judicat. I. 2. C. ubi in rem aet. I. unic. ubi de hæred.

Continentia causæ quis forum sortitur, nam si inter plures familiæ erciscundæ aut communi dividendo agatur, causæ connexitas non est dividenda, sed coram eodem judice comparere debent, si vero super eadem re alia incidat quæstio, omnes ad eundem judicem mittendi sunt, ne, quod in uno, eodemque judicio terminari poterat, apud diversos ventiletur *I. 1. 2. ff. ne quis ad eund. jud. I. 10. ff. de judic. arg. I. ult. ff. de nox. aet.*

Denique reo forum competit privilegii respectu certis personis, vel causis concessi, itaque causæ ecclesiasticæ apud judices ecclesiasticos, negotia militaria coram ducibus sunt ventilanda *c. 3. x. b. I. 6. C. de jurisd. omn. jnd.* Professores, & studiosi in Academia coram Rectore, & Senatu sunt conveniendi, modo re non nomine tantum sint studiosi. *Auth. habita C. nefilius pro patre.* Pupillis viduis, & misericordibus personis id concessum est, ut Imperator de ipsarum quærelis sola facti veritate inspecta, immediate cognoscat. *I. unic. C. quand. Imp. int. pupill. & vidue.*

C O R O L L A R I A.

IN mutuo fit alienatio.

I.

Quarela inofficiosi testamenti est ipsa hæreditatis peritio.

II.

Mulier ratione dotis prefertur creditoribus expressam anteriorem hypothecam habentibus.

III.

Pater tenetur dotare filiam licet locupletem.

IV.

F I N I S.